





Prot. N. 00092/2026-1139/25/I

BEATISSIME PATER,

Ioannes Accolla, Archiepiscopus Metropolita Messanensis-Liparensis-Sanctae Luciae, reverenter exponit paroecialem Beatae Mariae Virginis v.d. "dei Bianchi" communitatem, eiusdem Archidioeceseos, centesimum celebraturam esse anniversarium ex quo paroecialis ecclesia aedificata est.

Ad hunc faustum eventum digne commemorandum, peculiare peragentur sacrae functiones et alia spiritalia incepta, ita ut christifideles, qui illuc accursuri quamplurimi praevidentur, sacramentis Paenitentiae atque SS. mae Eucharistiae proprias reficiant animas et sinceram accrescant devotionem erga caelestem Patronam.

Itaque Exc. mus Orator, una cum Parocho praefatae Paroeciae, donum Indulgentiae pro peregrinis piisque visitantibus, a Sanctitate Tua fiducialiter implorat. Et Deus, etc.

Die XIV Ianuarii MMXXVI

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi a Sanctissimo Patre Leone Papa XIV tributarum, Ministro fidei ac laetitiae nostrae, plenariam libenter concedit Indulgentiam, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XXV Ianuarii MMXXVI usque ad diem XVII Ianuarii MMXXVII lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si paroecialem Beatae Mariae Virginis communitatem "dei Bianchi" ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus devote interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus aut orationibus aliisque christianae pietatis operibus ad Dei gloriam vacaverint et pro pace et populorum concordia pias ad Deum preces contra hodiernas aberrationes effunderint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis Reginae Pacis, Matris Misericordiae.

Paroeciae fideles senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter plenariam consequi valebunt Indulgentiam si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, anniversariis functionibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordiae Deo per Mariam SS. mam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Parochus et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilanti templo, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per paroeciale iubilaeum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

De mandato Em. mi'
+ Christophorus Iosephus Nyctel
Episcopus d. Velieus, Rector

Desiderius Ioannes Iacobus Bouable
officialis